Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8479
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ut uiderunt eum ambulantem sup mare putauerunt fantasma esse: et exclamauerunt. Omnes enim eum uiderunt: et turbati sunt. Et statim locutus est cum eis: et dixit illis. Confidite. Ego sum: nolite timere. Et ascendit ad illos in nauim: et cessauit uentus. Et plus magis intra se stupebant. Non enim intellexerant de panibus. Erat enim cor illorum obcecatum. Et cum transfretassent: peuenerunt in terram genezareth et applicuerunt. Cum egressi essent de nauigio: continuo cognouerunt eum. Et peruagantes uniuersam regionem illam: cepunt in grabbatis eos qui se male habebant circumferre ubi audiebant eum esse. Et quocumque intrabat in uicos uel in uillas aut ciuitates in plateis ponebant infirmos. et deprecabantur eum: ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent. et quocquot tangebant eum salui fiebant.

Dnica in xlma ad corinthios.

Per hoc exhortamur uos: ne in uacuum gratiam dei recipiatis. Ait enim. Tempore accepto exaudiui te: et in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem: ut non uituperetur ministerium nrm. sed in omnibus exhibeamus nos metipsos sicut dei ministros. in multa patientia. in tribulationibus. in necessitatibus. in angustiis. in plagis. in carceribus. in seditionibus. in laboribus. in uigiliis. in ieiunis.